



Bernhardus filius fuit Alberti marchionis Brādenburgensis. Is in omnis generis uirtutibus educatus, cum adoleuisset comes Anhaltinus & Berneberg constitutus fuit. Postea Friderici Barbarossæ castra secutus, animi & corporis ingentē fortitudinē declarauit, atq; Cæsari inter alios principes gratissimus fuit. Accidit autem circa annum Christi millesimum centesimum octuagesimum, ut Henricus Leo Baurariæ & Saxoniarū potentissimus dux ob malitiā suā ditione expelleretur, atq; alijs principibus eius regiones conferrerentur. Itaq; deliberatione Imperij habita hic Bernardus magno omnium cōsensu dux & elector Saxoniarū declaratus fuit, atq; ea insignia cum rura transfuersim posita oblata, quæ adhuc Saxoniarū principes magna gloria retinent.

Cum itaq; Bernhardus Imperij elector Saxoniam gubernandam suscepisset, ibidem per multos annos rebus optimē præfuit, atq; illustrem familiam ijs in locis reliquit, quæ magno tempore eas regiones gubernarunt. donec tandem anno 1423 superior Saxonia & Electoralis dignitas à Sigismūdo Cæsare Friderico marchioni Misnensi collata fuerit. Inferior tamen Saxonia apud Bernhardi familiam remansit. Is moriens Albertum filium in electoratu successorem habuit. Ut autem commodius hanc familiam intueri liceat, eius progeniem in tabula proponemus.